



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE QUANDOQUIDEM BEATAE TEMPLUM SEU

SANCTUARIUM BEATAE MARIAE VIRGINIS «DEL CISNE»,

QUOD EST IN DIOECESI LOIANA, IN AEQUATORIANA,

AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Quandoquidem Beatae Mariae Virginis

dignitas quasvis dignitates, praeterquam Christi, antecedit, idcirco eius laudes christianus populus per saecula semper

pleno ore, quasi perpetuo carmine cecinit, id recte cum animo reputans, quidquid honoris in Matrem impendatur, illud in

adorandi eius cedere decus et gloriam. Qua re, cum Venerabilis Frater Albertus Zambrano Palacios, Episcopus Loianus,

ab hac Apostolica Sede petierit, suo suorumque tum cleri tum populi nomine, ut templum, seu Sanctuarium B.M.V. quod

«Del Cisne» cognominant, in suae dioecesis finibus, Basilicis Minoribus accenseretur, Nos, tum dignitate ipsius sacrae

aedis, tum historia, tum fidelium pietate, eo loci ex omni regione confluentium considerata, ac potissimum Christi Matris

rem agi, quam et amavimus usquequaque filiorum more, et amari ab omnibus cupimus, libentissimo animo admotae

expostulationi concedimus. Quae cum ita sint, iis probatis, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino hac

de re statuit, factis a Nobis potestatibus, placet templum, de quo dicimus, ad Basilicae Minoris honorem evehi, factis

nempe iuribus ac liturgicis concessionibus cum ea dignitate coniunctis, modo servata sint quae Decretum «De titulo

Basilicae Minoris» poscit, die VI mensis Iunii factum, anno MDCCCCLXVIII. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum fore

confidimus, ut, aucta templi dignitate, etiam fides et religio erga Dei Parentem in fidelium pectoribus accrescat. *Datum*

Romae, apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die XVIII mensis Aprilis, anno MDCCCCLXXX, Pontificatus Nostri

altero. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana